

CASUS CCLXXII. Antonius occidendo Cajum tantum commisit culpam venialem ob defectum sufficientis advertentia. Teneturne sub peccato mortali reparare damnum per hoc homicidium familiae Caji illatum?

R. Non tenetur: sicut enim Antonius, si occidendo Cajum omnino nullam culpam commisisset, ad nihil prorsus teneretur; si etiam, sic culpa est tantum levis, obligatio restituendi non potest esse adeo stricta & rigorosa; quia non minus repugnat, dari effectum sine causa, ac admittere effectum a maiore, quam causa est, a qua producitur. Ita Lessius L. 2. c. 7. n. 27. C. B.

NOTA. Lessius addit, quod, dum de homicidio agitur, peccatum facile transeat in mortale; & in dubio nunquam iudicium fit serendum in favorem homicidæ.

CASUS CCLXXIII. Operarius quidam, laborans in agro heri sui, plures ibi reperit monetas aureas magni pretii. Num eas omnes retinere potest?

R. Supposito quod non sciatur dominus harum monetarum, quærendum est, utrum operarius has monetas decesserit casu fortuito, vel adhibita ad id industria. Si primum, dico, operarium non omnes has monetas retinere posse; quia Jus civile partem earum dimidiam attribuit domino agri; & cum hæc lex pœnalis non sit, eaque univèrsaliter sit recepta, obligat etiam in conscientia independentè a sententia iudicis. Si secundum, sciendum est, utrum operarius has monetas quæserit sine vel cum consensu heri sui, & an consensus iste non fuerit per fraudem obtentus. Si consensus accessit legitimus, operarius omnes monetas retinere potest; quia dominus agri censetur renuntiasse juri suo. Verum si non accessit consensus heri, aut per dolum fuit obtentus, dico, quod operarius post sententiam iudicis, non antea, quia agitur de lege pœnali, teneatur omnes monetas repertas redere domino agri. C. B.

NOTA. Operarius non tenetur restituere thesaurum inventum. Lex civilis non obligat circa hanc rem in conscientia ante sententiam iudicis, nec jure naturali, nec positivo; quia tale jus positivum nec probatur ex claro textu, nec ut tale agnoscat[ur] a Doctoribus vel populis.

CASUS CCLXXIV. Titius certus de contracto olim debito, sed incertus, an jam satisfecerit creditori suo, qui actu obiit, putat se esse exemptum ab obligatione solutionem præstandi hæredibus defuncti.

R. Per

R. Per tale dubium non eximitur ab obligatione solvendi: dum enim quis dubitat, utrum sit adhuc debitor, nec ne, credere debet, se adhuc oneratum esse obligatione solvendi; quia præsumptio fiat penitus in favorem obligationis, quam quis certo scit se contraxisse, & quæ nec redditur dubia, nec tollitur per solutionem dubiam. C. B.

CASUS CCLXXV. Titius certam quantitatem sceni abstulit; sed quia milites altera die violenter abstulerunt omne, quod reliquum erat, putat, se non obligari ad restitutionem.

R. Tenetur ad restitutionem: res enim injuste accepta debet restitui, etiam si postmodum ab alio fuisset ablata. Ratio est; quia res a possessore illegitimo detenta clamat ad legitimum dominum suum tamdiu, quamdiu ipsi potest restitui.

NOTA. Si certum sit, æque perituum fuisse in domo veri Domini, non tenetur restituere; quia Dominus prudenter non est amplius invitus. Aliud dicendum, si hoc non est certum, aut si ablatum sit in rationes communes communitatis.

Vide *Advocatus. Commodatum. Compensatio. Contractus. Donatio. Emptio. Judex. Mutuum. Societas. Tutor. Venditio. Usura.*

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

1. *Restitutio in integrum* est terminus juridicus, & definitur, *Prioris juris redintegratio, & in pristinum statum repositio.*

2. Remedium hoc a jure Romano introductum Prætor ut iudex ordinarius concedebat iis, qui in contractibus iniustis læsos se fuisse jure quærebantur, eosque in eum statum restituere, quo erant ante contractum: quo tamen remedio opus haud erat circa contractus ipso jure invalidos.

3. Causæ, ex quibus ordinariè conceditur restitutio in integrum, sunt sequentes: 1. Violentia. 2. Metus gravis, & minæ intentatæ ab eo, qui habet auctoritatem eas intendendi, & potestatem exequendi. 3. Fraus seu personalis dolus illius, quocum contractus fuit initus. 4. Minorenitas, quando intervenit manifesta & notabilis læsio. 5. Absentia ex justa aliqua necessitate. 6. Error facti.

4. Ecclesia & Status semper habentur instar minorennium; & hæc Alexander III. & Innocentius III. declararunt, quod si ecclesia ex culpa Episcopi aut curatorum negligentia se læsam

læsam sentiat, ei jus competat petendi restitutionem in integrum etiam contra aliam ecclesiam, & ipsam summi Pontificis sententiam.

5. Dum minorennis obtinuit restitutionem in integrum, fidejussores ipsius nihil inde referunt commodi, sed manet adhuc eorum obligatio, & quidem merito; quia rationabiliter præsumi debet, eum, qui cum minorennem contraxit, non fuisse contracturum absque præstita ex parte minorennis cautione. Id autem extra casum minorennitatis locum non habet; cum in omni alio casu, quamprimum contrahens principalis restituitur in integrum, omnis quoque fidejussorum cesset obligatio.

6. Si læsus ultra dimidium in contractu venditionis petat, ut jure potest, restitutionem in integrum, ex arbitrio emptoris pendet vel rescindere contractum, vel supplendo defectum pretii retinere rem emptam.

7. Dum agitur de bonis mobilibus aut juribus successivis, venditor non admittitur ad petendam restitutionem in integrum; neque locum habet hæc restitutio, quando res immobilis venditur vi decreti judicialis.

8. Ordinarie conceditur quadriennium ad petendam restitutionem in integrum; & respectu minorennium incipit hoc tempus currere a die adeptæ majorænnitatis. Si autem violentia aut fraus in contractu intervenerit, eaque duret ultra quadriennium, etiam jus petendi restitutionem ultra id temporis extenditur.

CASUS I. Gorgias minorennis Claudio vendidit domum; cum autem adepta majorænnitate agnovisset, se notabiliter fuisse læsum, petiit rescissionem contractus, paratus ad restituendum pretium acceptum. Estne hæc petitio justa, quocumque demum tempore ea fiat?

9. Quantumcumque Gorgias fuerit læsus in hac venditione, si jam quatuor annos adeptæ majorænnitatis superavit, reclamans venditionem non amplius auditur. Quarto autem anno adhuc currente potest petere restitutionem in integrum, eamque obtinebit, si sufficienter probaverit læsionem: imo si Claudius in hac emptione commisit injustitiam tenebitur Gorgiæ etiam ad reparandum damnum. *Pontas.*

CASUS II. Damianus annos viginti natus, & consequenter adhuc minorennis renunciavit cuidam hæreditati, quæ ipsi videbatur negotiis ac debitis nimium onerata. Leander post Damianum proximus hæres illam acceptavit, ac adhibito multo conatu, ac vendita quadam parte bonorum debita

debita dissolvit, ac negotia perfecit. Damianus majorennis factus vult uti beneficio restitutionis in integrum. Potestne Leander absque injustitia illi sese opponere?

10. Prætenso Damiani est injusta: debuisset enim petere restitutionem in integrum, dum res adhuc erat integra juxta legem *Quod si minor. 24. §. 2. ff. Lib. 4. Tit. 4.* ubi dicitur: *Scævola noster agebat, si quis juvenili levitate dultius omiserit, vel repudaverit hæreditatem, vel bonorum possessionem; siquidem omnia in integro sint, omnino audiendus est. Si vero jam distracta hæreditate, & negotiis finitis, ad paratam pecuniam laboribus substituti veniat, repellendus est. Pontas.*

CASUS III. Cestius viginti & duos annos natus acceptavit hæreditatem valde proficuum, omniaque dissolvit debita, quibus onerata erat, partim ex bonis hæreditariis mobilibus, partim ex bonis propriis, ut bona immobilia in salvo consisterent. Anno elapso, cum pars bonorum immobilium casu fortuito periisset, vult Cestius susceptam acceptationis obligationem excutere & a creditoribus repetere solutam ipsi summam. Potestne id fieri salva justitia.

11. Non potest fieri absque injustitia: creditores enim nihil perceperunt, nisi quod legitime ipsis debebatur, & quod sibi comparare potuissent per venditionem bonorum mobilium & immobilium, antequam casu fortuito periissent. *Si locupletis hæres exstitit, ait Lex Verum 11. §. 5. ff. Lib. 4. Tit. 4.* *Et subito hæreditas lapsa sit (puta prædia fuerunt, quæ chasmate perierunt, insulæ excussæ sunt; servi fugerunt aut decesserunt) Julianus quidem sic loquitur, quasi possit minor in integrum restitui. Marcellus autem apud Julianum notat, cessare in integrum restitutionem: neque enim ætatis lubrico captus est adeundo locupletem hæreditatem; Et quod fato contingit, cuius patrisfamilias, quamvis diligentissimo, possit contingere. Pontas.*

CASUS IV. Theodebertus minorennis 18. annorum commodatum a Leandro accepit equum 30. duplionibus constantem, eumque penitus inhabilem factum reddidit. Leander justam exigens indemnificationem obtinuit ab eo promissum scripto datum, quo se obligabat ad restituendum alium equum 20. duplionibus constantem; sed majorennis factus recusavit exequi promissum, facta insuper comminatione obtinendi literas rescissorias, si Leander ipsum vellet in judicio persequi. Potestne Theodebertus sic agere tuta conscientia?

3. Non potest: neque enim fuit læsus, nec deceptus; in quibus solis casibus leges concedunt minorennibus beneficium restitutionis in integrum. *Deceptis non decipientibus opitulatur* (Senatusconsultum) Leg. Et primo. 2. §. 3. ff. Lib. 16. Tit. 1. Pontas.

CASUS V. Andreas sedecem annos natus ex bonis maternis opulentissimus mandat Claudio consanguineo suo, ut quolibet mense suppeditet unum duplionem pro sustentatione patris sui nil bonorum possidentis: id, quod exequitur Claudius. Verum Andreas minorennitatem egressus contra Claudium literas rescissionis petere cogitat, ne factos ab illo in sustentationem patris sumptus refundere deberet. Potestne id ab Andrea fieri salva conscientia?

3. Hand dubie injuste ageret Andreas hoc modo; quia nulla omnino ipsi suppetit ratio, ex qua possit petere literas rescissorias: nihil enim egit Andreas, quod emolumento suo ac officio adversaretur; imo stricte tenebatur assistere patri in necessitatibus, & sustentationis media ipsi subministrare, ad quod & facultates ipsi suppetebant. Pontas.

CASUS VI. Agapius minorennis inito cum Antonio contractu sub cautione Ludovici circa negotium quoddam, quo ut se posset exonerare, obtinuit literas rescissorias, quibus mediantibus obtinuit sententiam restitutionis in integrum. An vi hujus sententiæ Ludovicus deobligatur a sua cautione?

3. Restitutio in integrum, quæ tollit obligationem Agapii minorennis, nequam deobligat Ludovicum fideiussorem ejus, nisi contracta ab Agapio obligatio fundetur in dolo aut violentia ab Antonio adhibita. *Si dolo malo apparuerit, ait lex Si ea. 2. Cod. Lib. 2. Tit. 24. contractum interpositum esse, manifesti juris est, utrique personæ, tam venditoris quam fideiussoris, consulendum esse.* Pontas.

CASUS VII. Geduinus, cum minis & violentia cogere tur ad vendendam Julio Toparchæ villam, & Julius deinde illam dedisset Gualtero in solutionem summæ eidem debitæ, obtinuit post obitum Julii literas rescissionis, & petiit a Gualtero restitutionem villæ; quod cum Gualterus recusaret, inquit, se villam non ab eo accepisse, Geduinus cogitat eum in jus vocare. Potestne judicialiter agere contra Gualterum, antequam egerit contra hæredes Julii?

3. Rescissio sortitur summum effectum non solum contra eos, qui modo injusto eidem ansam præbuerunt, aut qui eorum personam repræsentant; sed etiam contra tertium possessorem. Hinc Geduinus absque injuria potest agere contra Gual-

Gualterum ad recuperandam villam suam, restituto tamen ipsi pretio, quod expenderat. Pontas.

CASUS VIII. Fridericus tutor Remigii vendidit Samsoni domum sui pupilli ad dissolvenda ejusdem debita; Remigius autem majorennitatem ingressus turbat Samsonem in possessione jam sexennali domus, & vult rescindere venditionem a tutore factam. Potestne id fieri absque injuria?

3. Leges prohibent alienationem bonorum immobilium ad pupillos pertinentium, nisi in judicio ea decreta fuerit. Ad conciliandam in hoc casu factæ venditioni legitimitatem requiritur. 1. Ut hæc debita ita urgeantur, ut ex dilatione solutionis minorennis notabile damnum pateretur. 2. Ut hæc debita alio modo persolvi nequiverint. 3. Ut non adfuerint alia bona mobilia, nec debita activa &c. ex quibus potuisset satisfieri creditoribus solutionem petentibus. & 4. Ut alienatio facta fuerit fundi minoris pretii & minus utilis pupillo. Si igitur Fridericus vendidit domum propria sua autoritate, & neglectis requiritis formalitatibus, licet egerit bona fide, Remigio jus competit petendi literas rescissionis contra venditionem a suo tutore factam, si ipsi magis proficua est possessio domus, quam pretium. Potest insuper actionem instituire non solum contra tutorem suum, sed etiam contra emptorem. Si tamen Samson fecit reparaciones utiles aut necessarias in domo, Remigius tenetur ipsi has expensas compensare. Pontas.

RETRACTUS.

1. *Retractus* est jus, quo gaudet Dominus Feudalis, aut propinquus venditoris, retrahendi ex manibus emptoris fundum venditum soluto pretio in contractu constituto. Hinc duplex distinguitur species retractus, *Feudalis* nimirum & *Gentilitius*, sen, ut alias vocari solet *Redhibitio Gentilitia*. *Retractus Feudalis* fundatur in quadam conventionione saltem tacita, quæ Dominum inter & Vasallum intercedit: *Gentilitius* autem consistit in jure quodam per legem aut consuetudinem vim legis habentem introducto.

2. Jus retractus feudalis exerceri potest contra personas manus mortuæ, non obstantibus litteris amortizationis. Quoniam vero jus feudale divisum esse potest inter plures condominos feudi, non competit cuiquamque demum eorum in particulari facultas retractus exercendi, nisi pro ratione portionis, quæ ei in bono feudali obvenit, ni & cæteri condomini

domini jus suum ei cedant. Dominus feudalis non potest exercere jus retractus, nisi interveniente autoritate iudicis; & qui illud exercet, ultra pretium venditionis etiam tenetur solvere impensas contractus, jura domini, reparaciones necessarias, maxime eas, quæ factæ sunt autoritate iudicis.

3. Retractus non censetur esse altera venditio; & hinc, qui retrahit, non tenetur solvere jura domini, nisi quis hoc jure uteretur adversus ipsummet dominum, qui emit, aut qui jure retractus usus est fendi sui.

4. Jus retractus exerceri potest intra annum & diem, computatione facta a die cognitæ venditionis.

5. Vigent consuetudines, quæ deficientibus propinquis ex eadem linea ad jus retractus exercendum alios admittunt. Cæterum cujuslibet loci consuetudini inhaerendum est: quandoque enim præfertur magis propinquus, si duo jus retractus sibi vendicent; & quandoque magis industrius, qui nempe prior illud petiit; aut si actio ab utroque eodem tempore fuit intentata, ambo admittuntur ad redhibitionem: verum si alteruter eorum desistat a prosecutione juris sui, alter obligatur ad retrahendum totum fundum, nisi forte primus acquistor aliter cum retrahente convenerit.

6. Maritus potest exercere jus retractus nomine uxoris suæ, quin indigeat ejusdem procuracione. Bona mobilia, officia, ususfructus non subjacent huic juri, sicut nec bona aquifita: potest tamen primus venditor ejusmodi bona aquifita retrahere, si ea titulo hæreditatis pervenissent ad aliquem consanguineum lineæ rectæ, qui postmodum ea vendidisset.

7. Prædium commutatum cum aliquo fundo proprio, retinet naturam ejusmodi fundi proprii, & consequenter redhibitioni obnoxium est. Propinquus non potest jus redhibitionis Gentilitæ, quod sibi aquifitum est, in alios non propinquos transferre. Denique in redhibitione Gentilitia strictè observandæ sunt omnes formalitates requisitæ per consuetudinem loci, ubi prædia sita sunt; quin ulla sit ratio habenda consuetudinis, quæ viget in loco, ubi quis actionem redhibitionis prosequitur.

8. Jurisconsulti adhuc alias distinguunt retractus species, *Censualis* nimirum, & *Conventionalis*. Censualis permittit illi, qui dedit in Emphyteusim aliquem fundum, eundem retrahere ex possessione illius, qui eum postmodum emit, soluto tamen ipsi eodem pretio, quod ipse persolverat venditori. Retractus conventionalis proprie loquendo est facultas redimendi rem venditam, penitusque dependet a voluntate

&

& conventionem contrahentium; ac durat per triginta annos, imo & quadraginta, si actionem hypothecariam habet annexam. Ut penitus extinguatur hæc retrahendi facultas, opus est sententia iudicis, qua declaretur venditor ista facultate excidisse.

Nota. In hac re attendenda & sequenda sunt jura particularia cujuslibet Regni, Provinciæ, Reipublicæ, vel Municipii; quibus deficientibus jus naturale dubium regulari potest diredivè per consuetudinem potiorum aliarum gentium.

CASUS I. Lucullus Mœvio vendidit domum ex hæreditate paterna obtentam. Lysander frater Luculli, aut quidam consanguineus habens jus retractus repetit a Mœvio domum, oblato eidem pretio pro ea expensæ, non animo eam retinendi, sed cedendi cuidam amico, qui eam affectat. Potestne id fieri tuta conscientia?

3. Nec Lysander nec alius consanguineus Luculli potest uti jure retractus in favorem alterius amici. Hinc juxta Caballutum L. 6 c. 9. n. 11. in tribunalibus consanguinei non admittuntur ad retrahendum, nisi deposito prius juramento, quod habeant intentionem rem retrahendam servandi pro se ipsi. *Pontas.*

CASUS II. Aristippus civis Parisiensis emit domum cum adjacentibus decem jugeris agri & vineæ; quia autem timuit, ne Lucius consanguineus venditoris utatur jure retractus, neglexit reparaciones ruinosæ domus, & culturam agri & vineæ. Lucius re ipsa Aristippo offert pretium domus, quod expenderat, ac eodem tempore petit ab eo reparacionem damni ob deteriorationem domus, agri & vineæ. Potestne Aristippus tuta conscientia se defendere in iudicio, si Lucius contra ipsum processum instituat?

3. Aristippus non tenetur ad ullam compensationem Lucio: sive enim damnum contingat in re empta ante retractum, sive post retractum, totum ferendum est retrahenti; si contingit ante retractum, retrahens sibi ipsi imputet, quo retrahere velit rem adeo vitiatam; si contingit post retractum, illud imponendum non est primo emptori, cum ad eum non amplius pertineant fructus rei emptæ. Imo si emptor fecisset quasdam reparaciones in fundo empto, retrahens teneretur ipsi compensare expensas. Nihilominus verum est, ab emptore fundum aut prædium non esse deteriorandum; id si factum est, tenetur restituere rem emptam in statum pristinum. *Pontas.*

No-

Nota. In hac re potest peccari graviter contra charitatem, si detrahens vel retrahens causet grave damnum vel fastidium absque necessitate vel notabili suo emolumento. Manet immobile constitutum Evangelii. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

CASUS III. Scabinus Toparcha sciens, Germanum Vassallum suum Paulo vendidisse sylvam cæduam, usus est jure retractus feudalis, & numeravit Paulo summam Germano solutam, animo hanc sylvam cedendi cuidam Nobili, cujus fundi adjacent huic sylvæ. Potuitne sic agere tuta conscientia?

ꝛ. Scabinus nullam commisit injustitiam: in hoc enim differt retractus feudalis a Gentilitio, quod Dominus Feudi possit jus retractus exercere sive in suum, sive in cujuscumque alterius commodum. *Pontas.*

Nota. Vide Notam præcedentem. Certe cum emptio & venditio sint contractus bonæ fidei, abesse debent omnia tacita gravamina reciproca, non annexa per claram pactioem vel legem.

CASUS IV. Petrus gaudens jure retractus commodat suum nomen cuidam tertio non habenti hoc jus pro obtinendo ipsi prædio.

ꝛ. Id non licet; tenetur hinc Petrus pro viribus adniti, ut alieno nomine retrahens restituat prædium; si nihil possit efficere, tenetur Petrus ipse parti læsæ reparare damnum juxta æstimationem viri prudentis. Si neuter horum repararet damnum, ad illud reparandum tenetur, qui alieno nomine retrahendi mutuas dedit pecunias ad sibi comparandum prædium. *Fromageau.*

CASUS V. Vir nobilis vult retrahere agrum venditum a suo consanguineo; cumque ipsi deesset numerata pecunia, eam ab alio mutuam accepit.

ꝛ. Non potest retrahere agrum venditum, si habuit animum immediate post retractum eum vendendi illi, qui mutuam dedit pecuniam, & ad id promissione se obstrinxit, casu, quo hæc sola ratio fuisset mutuam dandi: ab ejusmodi enim contractibus fraus quam longissime absit, necesse est. *Fromageau.*

REUS.

Ea, quæ dicta sunt ad articulum *Actor*, sufficere possunt ad hunc quoque, de quo agitur, articulum *Reus*. Pauca solummodo notanda sunt. 1. Reus a legitimo iudice judicialiter ac legitime interrogatus tenetur respondere, ac fateri verum.

verum. Et si quandoque ab hac regula detur exceptio aut effugium, ut ex subjunctis casibus patet, nunquam tamen licet reo mentiri, etiamsi loquendo falsum tueri vitam posset. 2. Regulariter loquendo non acceptatur in iudicio accusatio contra impuberes facta. 3. Consilarii aulici supremorum Principum non possunt accusari nisi coram Curia, cujus membra sunt. 4. Reus non auditur deferens actorem suum de æquali crimine. 5. Reo, dum culpa se liberavit, indulgetur regressus adversus actorem & denunciatoem ad compensationem damni perpesti & lucri cessantis. 6. Parochus de crimine delatus ad Superiorem suum potest interdici omnibus functionibus parochialibus, etiam nondum convictus, si dedit scandalum. Constituto tamen interea ad obeunda parochialia vicario non omnes parochiæ proventus possunt assignari, sed tantum portio congrua.

CASUS I. Blasius capitalis criminis reus, cum probe sciret, actum esse de vita sua, si verum ediceret, iudice interrogante negat, id se commississe.

ꝛ. Si iudex secundum ordinem juris a legibus præscriptum processit, reus sub peccato mortali tenebatur fateri verum; gravius adhuc peccaturus, si falsum perjurio affirmasset. Si vero iudex non egit secundum formam in causis criminalibus a jure præscriptam, Blasius, cum non teneretur eum pro suo legitimo Superiore agnoscere, poterat veritatem celare, sed medio licito, nequaquam mentiendo. *Pontas.*

Nota. Si iudex sine sufficientibus indicis de gravi crimine reum interroget, interrogatus declarare poterit, se non obligari ad respondendum. Ea declaratio erit instar contestationis judicialis, se ultimum æquivocatione, amphibologia, aut restrictione mentali, si respondere cogatur.

CASUS II. Hermocrates de homicidio accusatus, cum testis solum unicus, licet de visu, contra ipsum deponat, constanter fortiterque ad diversa interrogatoria suam affirmat innocentiam. Potestne mendacium hisce in circumstantiis a peccato mortali excusari?

ꝛ. Videtur Hermocrates in casu proposito a peccato mortali excusari non posse. *Pontas.*

Nota. Hæc est genuina responsio Pontasii, quem pro sententia opposita adducit compilator horum casuum. Sunt quidem nonnulli Doctores, quos & ipse Pontasius recenset, qui ejusmodi mendacium a gravi peccati nota immunem existimant; sed quo nixi fundamur. *Dist. Cas. Tom. III. A a men.*

mento? Certum est, tale mendacium deposito de veritate dicenda iuramento injuriosum esse & Deo, & judici, & accusatori, illudque a gravi culpa eximere idem esse, ac fovere perjuriam, latissimam impunitati scelerum portam aperire, & justitiam legum non minus quam vigilantiam judicum reddere inutilem.

CASUS III. Theodemarus fuit accusatus de furto domestico quingentorum florenorum, deponente contra ipsum Ludovico, teste omni exceptione majori. Reus perbene gnarus, ex unius testimonio ad mortem se condemnari haud posse, obfirmato animo suam negando tueri innocentiam statuit. Potestne absolvi, si persistat in proposito salvandi vitam ope mendacii?

R. Reus tenetur sub gravi peccato in his circumstantiis pandere veritatem judici habenti jus eam exigendi. Et hinc prudens confessarius negabit ipsi absolutionem, eamque non nisi post eventum sententiae judicialis conferet, quam praestolari oportet. Si Theodemarus dimittatur, monendus sane a confessario de obligatione vitandi talia perjuriam, si fors simili casu involveretur. *Pontas.*

Vide *Irregularitas cas. 66.*

CASUS IV. Nepotianus de gravi furto ac adulterio in iudicium delatus, potuitne non obstante hac accusatione canonicè promoveri ad dignitatem in ecclesia cathedrali per resignationem ab avunculo sibi factam? Aut si dignitas haec foret electiva, possetne a Capitulo canonicè eligi?

R. Accusatio haec est impedimentum canonicum in ordine ad promotionem per resignationem, non autem in ordine ad electionem ad dignitatem ecclesiasticam; saltem si accusationem nec praecessit, nec subsequuta est infamia. *Pontas.*

NOTA. Ut dilucidetur magis obscura satis haec responsio, advertendum 1. fore indecentissimum promovere aut eligere hominem tam gravi accusatione oneratum; nisi fors rationabilis causa suppeteret justum sic contemptum monstrandi vel adversus accusatorem vel adversus accusationem. 2. Prorsus convenire, ut expectetur, donec accusatus de crimine se purgaverit. 3. In casu infamiae summopore attendendum ad regulam juris 87. *Infamibus portae non pateant dignitates;* & quandoque tanquam infamatorium censendum esse, quod in rigore juris non est, ut videre est in articulo *Irregularitas.* De cetero si accusatus per praesumptiones violentas, vel probationes plusquam semiplenas est convictus, plane est excludendus in virtute ac per extensionem constitutionis a Benedicto XIV. editae 1742. *In Supremo.* ubi declarat Pontifex, exigente bono publico ad poenam ordinariam procedi posse contra convictos, licet non confessos.

CA-

CASUS V. Epiphanius assassinii reus, & ob contumaciam ad mortem condemnatus, licet eum prehensuris violenter resistit, ut sic vitam salvaret, aut carcerem effugeret. Num resistendo peccavit?

R. Non potuit absque peccato violenter se opponere, si iuste ad mortem fuit condemnatus; licet fuga sibi consulere potuisset. Si vero injuste fuit condemnatus, non peccavit defendendo se; nisi ex hac ipsa defensione oriretur scandalum, aut gravis seditionis periculum, quam limitationem addit S. Thomas 2. 2. q. 69. art. 4. C. *Pontas.*

CASUS VI. Cesselius subdiaconus ob imputationem criminis capitalis in jus vocatus, & ab Officiali desuper interrogatus, candide se reum fatetur. Poteritne ex sola confessione propria iuste ad poenam canonicam crimini debitam condemnari, non obstante regula juris: *nemo auditur perire volens?*

R. Cum ingens inter jurisprudentiam ecclesiasticam & civilem discrimen sit, Officialis potest Cesselium subicere poenae canonicae. *Pontas.*

CASUS VII. Brigitta commisit adulterium, de quo a proprio marito fuit accusata; crimen caeteroquin est omnino occultum. Teneturne sub peccato mortali id fateri iudici interroganti?

R. Non tenetur. Aliud esset, si crimen ita foret notorium, ut exinde jam sit secuta infamia publica ob signa evidentia, aut violentas suspiciones: tunc enim teneretur confiteri veritatem; etiam si non nisi semiplena adsit probatio. S. Thom. quodl. 5. q. 8. art. 16. *Pontas.*

CASUS VIII. Christianus pastor de sortilegio accusatus, & addictus torturae, vi tormentorum eo adigitur, ut contra propriam conscientiam reum se diceret, etsi perbene nosset, talem sibi confessionem mortem accituras. Estne ipsi a confessario, cui suam exponit innocentiam, deneganda absolutio?

R. Est deneganda, si revocatio confessionis conducere possit ad conservationem vitae, & tamen eam facere recuset: talis enim recusatio a gravi peccato excusari haud potest. *Pontas.*

NOTA. Ad hanc revocationem obligandus est etiam ex eo; quia ejus infamia causaret gravissimam contritionem & praedictum familiaria & consanguineis.

CASUS IX. Antonius judicialiter, sed injuste fuit accusatus de assassinio. Renatus scit ejus innocentiam; sed nequit

A 2 2

in

in ejus favorem deponere, utpote in testem non vocatus. Teneturne nihilominus manifestare veritatem, eamque omni possibili conatu probare, v. g. rem exponendo judici, vel alteri, qui utiliter operam præstare posset pro tuenda Antonii innocentia?

R. Tenetur omnino. S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. C. ubi ait: *Si testimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab injusta morte, seu pœna quacumque, vel a falsa infamia, vel ab aliquo damno; tunc tenetur homo ad testificandum: & si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denunciaret alicui, qui ad hoc possit prodesse.* Pontas.

ROGATIONES.

Hæc vox Rogationes terminus est ecclesiasticus, ac tres dies precum publicarum immediate præcedentes festum Ascensionis Christi indicat. Initio sæculi non triduum hoc erat festivum. Usus Processionum his tribus diebus est antiquissimus. Tempore S. Mamerti, qui has processiones instituit, servabatur jejunium per triduum isthoc: at sensim ab hoc servore remissum est, & deventum ad solam abstinentioniam a carnibus; adeo, ut obligatio jejunii nostris jam temporibus penitus cessaverit, nec quempiam obliget sub pœna peccati.

CASUS I. Sigonius a non nullis mensibus ex Italia rediit in Galliam, comedit carnes tribus diebus rogationum, qui crederet, se comisisse peccatum, maxime mortale; moventibus autem sibi scrupulum, & peccati mortalis inculantibus respondit, in ipsa urbe Romana carnes manducari hisce diebus; neque ab Ecclesia unquam legem latam fuisse abstinendi a carnibus; & consequenter consuetudinem abstinendi a carnibus vigentem in Gallia tanquam meram devotionem habendam esse. Suntne hæ rationes legitimæ?

R. Sigonius, utpote sufficienter instructus de generali consuetudine observata in Gallia diebus rogationum abstinendi a carnibus, peccavit mortaliter agendo contra hanc consuetudinem, quæ originem suam ducit a lege ecclesiastica particulari, imponente obligationem abstinendi in pluribus diocæsis. Imo etsi nulla ejusmodi lex subsisteret, sufficit ad inducendam obligationem consuetudo generalis totius regni a pluribus jam sæculis observata juxta Sidonium Apollinarem L. 5. Ep. 14. & Concilium Aurelianense I. anno 511. Pontas.

No.

NOTA. Sicut festa consuetudinaria non obligent sub peccato nisi interveniente auctoritate Episcopi, ita nec jejunia consuetudinaria in legem Ecclesiæ obligatoriam transire possunt sine assensione præceptiva Episcopi; quæ tamen non præsumenda, sed ex actis publicis legem uniformiter constituentibus vel supponentibus probanda est.

CASUS II. Rudolphus Episcopus jam ante aliquot annos statutum Synodale edidit, vi cujus omnibus diocæsanis jejunium imponitur tribus diebus rogationum. Monasterium autem quoddam situm in hac diocæsi, & exemptum a jurisdictione Episcopi non observat hoc statutum. Teneturne se conformare huic statuto? Et num peccant Religiosi mortaliter illud non observantes, sicuti peccarent non observando festa ordinata ab hoc Episcopo, aut violando interdictum latum ab Episcopo contra civitatem, in qua situm est monasterium?

R. Cum statuta Synodalia non censeantur esse facta, nisi dependenter a jurisdictione Episcopi, Religiosi exempti ab hac jurisdictione non tenentur ad observationem horum statutorum. Unde sequitur, memoratos Religiosos non peccare, si non jejunent diebus rogationum: interdicto autem se submittere, & observare festa tenentur vi juris communis; sic enim vult Concilium Tridentinum Sess. 26. de regul. & monialibus c. 12. Ubi tamen non fit mentio similis obligationis quoad jejunia particularia præscripta ab Episcopo; & consequenter ad ea non obligantur Religiosi exempti, nisi fundentur in consuetudine antiqua & generali totius Provinciae, quæ in hoc casu haberet vim legis juxta Sylvium v. Rogationes I. Nihilominus omne in tali casu scandalum abesse necesse est. Pontas.

NOTA. Omnes regulares, quamvis quoad pertinentia ad disciplinam regularem per summos Pontifices non raro eximi soleant a jurisdictione Episcoporum; circa pertinentia tamen ad disciplinam clericalem vix unquam eximuntur ab Episcopo, cui in ordinatione jurant obedientiam. Jejunia autem extraordinaria pertinent primario ad disciplinam clericalem exemplarem, quando indicantur ob necessitatem publicam.

S.

SACERDOS.

CASUS I. Lucio cujusdam parochiæ vicario ignominiosissime insultant complures parochiani; quas quidem injurias ex consilio sui parochi patienter ferre paratus est. At vero

A a 3

unus